

ANGINA INFLAMMATORIA.

798. Verum quando ab inflammatione, glandulae (788.), vel musculi (788.) occupantur, tum oritur, morbus huc proprie referendus ob summam, qua funestus est, acutiem, & velocissimam, & insuperabilem saepe violentiam.

799. Hujus (798.) mali causa 1°. in genere est omnis ea, quae inflammationem quamcunque potest producere (375. 376. 377. 378.). 2°. illa omnis, quae inflammationis causas determinant in primis ad loca descripta (388.), maxime ad laryngem, pharyngem, os hyoides, horumque musculos, tum ad fistulae pulmonalis superiora: talia autem sunt, dispositio propria juvenibus, sanguine divitibus, rufis; exercitium frequens, validumque harum partium, oratoria exercitatio, cantus, clamor, fortis equitatio adverso vento & frigido, tubarum & fistularum inflatus, labores validi in aere frigido; calor aestuans magnum frigus excipiens tempore verno; aridae fauces ob aeris recepti & expulsi fervore in aestu solis, vel in febre inflammatoria.

800. Ubi ex his causis (799.) nata est, varia, & inter ea horrenda, symptoma-

M 3 ta

ta creat, pro diversitate partis ejus, quam
occupat.

801. Si sola laborat pulmonalis fistula,
illaesis aliis, in interna sua membrana mu-
sculosa, tum oritur ibi tumor, calor, dolor,
febris acuta calida, caeterum externa signa
nulla; vox acuta, clangosa, sibilans; inspi-
ratio acute dolens; respiratio parva, fre-
quens, erecta, cum summo molimine; hinc
circulatio sanguinis per pulmones difficilis;
pulsus mire & cito vacillans; angustiae sum-
mae; cita mors. Estque haec una ex iis, quae
funestissima, nec externa dant signa: quo
vero proprius glottidi & epiglottidi malum,
eo sane magis lethale.

802. Si larynx in primis acute inflamma-
tur; & sedem habuerit malum in musculo
albo glottidis, & simul in carnosis ei clau-
dendae inservientibus, oritur dirissima, su-
bito strangulans, Angina. Signa ut priora
(801.); dolor in elevatione laryngis ad de-
glutitionem ingens, auctus inter loquendum
atque vociferandum; vox acutissima, stridu-
la; citissima, cum summis angustiis, mors.
Estque haec, sine signis externis, omnium
pessima.

803. Si soli musculi elevando os si hyoi-
di, & laryngi servientes inflammantur vali-
de, signa evidentia sunt haec? respiratio
satis libera; deglutitio in prima actione
suæ

suae exercitationis acutissime dolens; tum signa inflammationis in genere; & eadem in iis musculis, qui apparere examinanti possunt.

804. Quando autem sola pharynx eodem infestatur malo, signa specifica sunt, inspec-
ctis faucibus apparentia; respiratio satis
commoda; deglutitio dolens, impossibilis;
materies deglutienda per nares redeuns;
eadem in asperam arteriam pulsa, & tussim
violentam excitans; hinc defectus cibi, po-
tusque ingerendi; exsiccatio & exasperatio
omnium humorum in corpore; febris non
adeo intensa; major morbi duratio ante il-
latam mortem.

805. Si vero tonsillae, uvula, velum mem-
branosum pendulum; musculi ejus quatuor
pterygostaphylini, inflammantur valide,
tum fiunt fere eadem ac in priori (804); re-
spiratio incommoda, difficilis, per nares nul-
la, vel parva, per fauces angusta; materies
deglutienda ob angustias & summos dolores
per os redeuns; excreatio perpetua; pituitae
ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum,
copiosum; dolor acutus in aure interna, &
via eo tendente a faucibus; crepitatio in au-
re dum deglutitio fit; surditas saepe perfe-
cta. Hoc mali genus hodie a lue gallica
frequens, & valde metuendum.

806. Quod si omnes hae inflammatoriae

M 4

spe-

species (801. 802. 803. 804. 805.), vario concursu, simul aegrum infestent, concluditur facile, eo saeviorem fore morbum, quo plures in unum conspiraverint: tumque simul eo plura, & saeviora symptomata eventura esse.

807. Nam impedito tum crux in jugulares externas, vel per has ipsas compressas, reditu, fit tumor faucium, labiorum, linguae, vultus; linguae exsertio, intorsio; inflammatio; oculorum rubedo, protuberans tumor horrendus; cerebri, ob eadem suffocatio; hinc visus, auditus, tactus, hebetes; delirium; hiatus oris; stertor; decubitus impossibilis praef suffocatione; rubor, tumor, dolor, pulsatio, saepe in collo, petore, cervice, conspicui; unde venae jugulares frontales, raninae varicosae tument.

808. Decurrit autem omnis Angina consuetum inflammationis generalis iter, easdemque facit, ac patitur mutationes in resolutionem, pus, gangraenam, scirrum.

809. Ergo si signa docuerint, anginam esse (801. 802.), confessim examinandum, an pura haec tenus inflammatio adsit (382. 383. 384.); tumque citissime per efficacissima remedia (395. ad 402.), tentanda resolutio est (386.) Itaque 1°. cita, magna, repetita miffo sanguinis eousque ut debilitas, pallor, refrigeratio, vasorum collapsus, do-

ccant,

ceant, vim superstitis non posse augere tumorem & rigiditatem vasculorum, exercenda erit. 2°. valida alvi subductio per purgantia ore hausta, vel clysmatum instar injecta, repetita. 3°. victu, potuque tenuissimo, & lenissimo opus. 4°. nitrosis, subacidisque medicamentis 5°. vapore humido, molli, tepido assidue hausto: fermentis externis; derivantibus epispasticis, cucurbitis, sinapismis, collo, & pectori, appositis.

810. At species (802.), raro tam periculosa ac (801. 802.), eadem remedia (809.) sed leviora, petit. Hic autem in primis cataplasmata anodyna, laxantia, emollientia externa necessaria.

811. Dum denique angina (804. 805. 806.) adhuc inflammatoria, infestat; tum eadem remedia (809. 810.) requiruntur unita, sed addendae perpetuae humectationes oris & faucium, per lenissima attenuantia nitrosa, diluentia aquosa calida, laxantia pinguis, quae ore quieto contineri, leniter gargarisando applicari, fistula injici possunt: requiritur continua opera, ne arescant partes.

812. Si omnibus his non, sero, vel frustra tentatis (809. 810. 811.), morbus sit maxime recens & strangulans a causa superiori, quam erit locus sectionis, cum

M 5 sym-

Symptomatibus pèsimis (807.) nec tamen adhuc gangraenosis, statim post acerbam prognosin instituenda erit βεργχοτομή.

813. Quae fiet, praeparato corpore aegri; in aspera arteria infra laryngis inferiora ad pollicis distantiam, dicissa cute, & integumentis; amotis musculis; secto interstitio inter annulos arteriae asperae; imposito canaliculo argenteo; dein ablata causa, quae exegerat hanc operam, vulnus percurando; interim clysmata nutriendia applicando, si deglutitio impossibilis.

ANGINA SUPPURATORIA.

814. Verum si malum jam eo processerit, ut suppuration loci affecti jam incipiens cognoscitur, per signa (387.) erit tentanda via abscessus per artem, & remedia generalia (402. ad 412.) ; maxime autem molli, assiduo gargarismate, largo cataplasmate laxante; pertusione loci, sensibus deprehensi; bronchotome (812, 813.)

815. Illa autem anguinae species, quae prior descripta (801. 802.), raro eousque adolescere potest, sed vel prius resolvitur (809.), vel necat,

AN-